



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 14. Conventus Norimbergensis ab Imperatore indictus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

Sæcul. XV.  
A.C. 1467.

## §. XIV.

*Conventus Norimbergensis ab Imperatore inditus.*

Egerat Pontifex crebro hortatu apud Imperatorem, ut in Podiebracium Regem bellum adornaret. (\*) Fridericus, quamvis nec armis delectaretur, nec pecuniarum subsidiis abundaret, Papæ tamen votis, quantum licuit, saltem speciemens satisfacere studuit, huncque in finem comitia Norimbergæ celebranda Krantz. 12. indixit, ubi multa quidem ultro citroque Wandal. 37. fuere proposita, ea tamen effectu cauerunt. Mittebatur ad hunc Conventum a summo Pontifice Ferrarensis Episcopus, qui hunc in modum ibidem perorabat: Non abs re metuendum est, ne Proceres, & populi Bohemiæ, qui a Podiebracio defecerunt, ad miserrimam omni-

(\*) Spondanus ad hunc annum num. 8. cuius vestigia Continuator nimis presso pede sequitur, inquit, Pontificem apud Imperatorem egisse de bello Turcico; forte alias, (ne quidem adeo temere) observaret, eo consilio hæc verba in Podiebracium fuisse translata, ut Pontifici conciliaretur invidia, acsi neglegto Turcarum bello Principes in Regem Christianum conorta non dubitasset.

**Sæcul. XV.** omnino conditionem redigantur, si Ger-  
**A. C. 1467.** mani eis opem ferre cunctentur. Po-  
 loniæ etiam Regi hoc Regnum armis  
 vindicandi animus non est, nec aliunde  
 magna in ejus auxilio spes collocari pot-  
 est. Imperator ob consuetas suas tergi-  
 versationes, quid consilii capiat, incertus  
 hæret, ac duntaxat a Pontifice postu-  
 lat, ne Hungariæ (\*) Rex in Germaniam  
 accerseretur, eoquod illum ditionibus  
 suis adeo vicinum habere pertimesceret,  
 quinimo palam assereret, quod Papa  
 quidem Bohemiæ Regem anathemate  
 percellere potuerit, nullatenus tamen e-  
 jus Regnum, utpote quod omnino a Cæ-  
 sarea Majestate sua dependet, aliis tra-  
 dendī potestatem habuerit. His subjun-  
 xit Ferraiensis: Germani Principes pri-  
 vatis adducti periculis idem cum Cæsa-  
 re sentiunt, & Podiebracium odio qui-  
 dem habent, eumque Regno privari cu-  
 piunt; Ast cum ob privata sua commo-  
 da mutuis dissensionibus inter se colli-  
 dantur, parumque Cæsari sint affecti, i-  
 deo singuli Bohemiæ Regi adulantur;  
 verentur enim, ne ille fese cuidam factio-  
 ni adjungens, adversam bello opprimat.

## §. XV.

(\*) Spondanus habet: *REX POLONIÆ,*  
*quod & Historiæ veritati magis consonum est.*